



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. VI. De Pietate, & Disciplina Scholasticorum externorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

vincialem, & Generalem admoneat. Qui quidem Syndicus vir magnæ fidelitatis, & iudicii esse debet. Quod officium conjungi potest cum Collateralis, vel Consilarii officio. Præter hunc habebit Rector Syndicos particulares, ut de qualibet classe ad eum referant. *d*

d P. 4. c. 17. §. 7. & I. K. L. & R. Rect. 48. & St. R. Bid.

6. De insignibus autem, quibus distinguantur Rector, & reliqui ejus Officiales; an & quibus uti debeant; statuet Generalis in qualibet Universitate, quod ad majorem Dei gloriam constituendum esse judicabit. *e*

Insignia Rectoris, & Officialium.

e P. 4. c. 17. §. 8. & M. & C. 1. D. 131.

C A P U T VI.

De Pietate, & Disciplina Scholasticorum externorum.

S E C T I O I.

De Pietate in iis fovenda.

** Mores pii in Scholasticos inducendi.*

* I. **D**iligenter curetur, ut qui Literas discendi gratiâ ad Collegia Societatis se conferunt, simul cum illis mores Christianis dignos addiscant. * Magistri igitur orent Deum sæpe pro suis Discipulis; eos-

a P. 4. c. 7. §. 1. 2. & c. 16. §. 1. & St. R. Prov. 1. & St. R. Rect. 1. & R. Præf. 1. & R. com. sup. 1. & R. Præf. inf. 1. & R. com. inf.

B b que 1.

b R. com. inf.
10.

c P. 4. c. 8. A.
& c. 16 §. 4. &
C. & R. com.
sup. 1. 2. &
com. inf. 1. 2.

*Sacramenta ab
iisdem frequen-
tanda.*

d P. 4. c. 7. §. 2.
& c. 16 §. 1. &

R. com. inf. 9.

e R. Præf. inf.
46. & comm.
inf. 42.

f R. com. inf. 9.

g St. R. Prov.
31 & R. Præf.
inf. 46.

*Missæ, & Con-
cilio audienda.*

h P. 4. c. 7. §. 2.
& c. 16 §. 1.

i R. com. sup.

j R. Præf. inf.
45. & com.
inf. 3.

*Catechismus
addiscendus.*

que vitæ suæ exemplis ædificent. b Eo-
rumdem intentio feratur, tam in Lectio-
nibus, quàm extra eas, ad illos ad amo-
rem Dei, & virtutum movendos; & ut
omnia sua studia ad hunc finem referant:
ad cujus excitandam memoriam, præmit-
tatur Lectioni brevis oratio; vel ejus loco
Præceptor signo Crucis se muniat. e

2. Multum præterea conferet, si omnes
singulis saltem mensibus, semel ad Sacra-
mentum Confessionis accedant: d curabit-
que Præfectus, ut in adeundis Confessariis
modestè se gerant. e Classum autem infe-
riorum discipuli suum nomen descriptum
in schedula Confessario tradent: f curan-
dum verò à Provinciali, ut plures Confes-
sarii in Collegiis primariis, ad eos audien-
dos constituentur. g

3. Missam etiam quotidie, & Concio-
nem singulis diebus Festis (cum ea fiet)
audient: ex Præceptoribus autem quisque
hoc à suis discipulis præstari curabit. h Et
quidem superiorum Scholarum discipuli
ad Missam, & Concionem hortandi sunt,
i Reliqui ex inferioribus deducendi ad
Missam, præsentè aliquo, aut pluribus
Magistrorum; & ad Concionem mitten-
di. l

4. Prælegatur etiam in Collegiis, ali-
quo

quo die cujuscunque hebdomadę Christiana Doctrina; & ut pueri eam ediscant, & recitent; omnesque etiam adultiores, si fieri potest, eandem sciant, curabitur. m

5. Habebitur præterea, singulis hebdomadis ab aliquo ex Scholasticis profectionibus, sive è Societate sit, sive Externus, sive suo, sive alieno Marte confecta Declamatio Latina, aut Græca de re aliqua, ad ædificationem pertinente. n Præter mensuram, & communem omnibus arbitrio Rectoris, o fiat in singulis Classibus inferioribus pia adhortatio hebdomadaria; in superioribus paulò rarior; sed utrobique Auditores incitandi sunt, etiam privatis colloquiis, ad orandum Deum, ad excutiendam conscientiam, frequentanda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vitandas pravas consuetudines, vitiorum fugam, prosecutionem virtutum. p Nemo verò incitandus ad capeffendam Societatem, & talia agitantes ad Confessarium rejiciendi. q

6. Detur opera à Rectore, ut Congregatio D. MARIÆ Annunciatae ex Romano Collegio in suum propagetur; cui qui nomen non dederit, non esset in Academiam admittendus. r De Congregationibus B. V. actum est supra Cap. I. Sect. 7.

m P. 4. c. 7. §. 2.
& c. 16. §. 2. &
R. Præf. inf. 6.
& com. inf. 4.

*Adhortationes
habenda tum
communes; tum
particulares.*

n P. 4. c. 6. §.
13. & c. 16. §.
3. & B. & St.
R. Rect. 11.
o St. R. Rect.
21.

p P. 4. c. 4. §. 6.
& St. R. Rect.
21. & com.
sup. 3. & com.
inf. 5.
q R. com. inf.
6.

Congreg. B. V.

r St. R. Rect.
23.

S E C T I O II.

De Disciplina exigenda ab externis
Discipulis.

Scandalaprohibenda.

s P. 4. c. 16. §. 4.

t P. 4. c. 5. F. & c. 14 §. 2. & D. & St. R. Prov. 34. & com. inf. 8.

Regularum observantia quomodo exigenda.

u R. Præf. inf. 49.

x P. 4. c. 16. A. & c. 17. §. 3. & D. & Præf. inf. 11.

Correctio qua adhibenda.

1. **I**N Scholis nec juramenta, nec injuriæ, nec dissolutum quid permittatur; & procul habeantur libri Poëtarum, & quicumque alii non expurgati, qui honestati, bonisque moribus nocere queant.

2. Quæ omnia, cum additamentis aliquibus, comprehendunt Regulæ Scholasticorum externorum in Ratione studiorum p. 158. Hæ propalam affigendæ, & legendæ in inferioribus classibus singulis mensibus, u atque primò in Scholas admissis ostendendæ; exacta ab iis promissione (citra juramentum tamen) de Obedientia, & Observatione suarum Constitutionum; relativque in matriculam eorum nominibus. Ad quæ servanda compellantur, qui facilè compelli possunt. Amanter quidem persuadere convenit; sed ad id ne cogantur: nec si id non præstiterint, à Scholis expellantur: dum tamen nec dissoluti, nec aliis offendiculo esse videantur.

3. At propter eos, qui tam in suis studiis, quàm in moribus peccaverint; & cum

cum quibus exhortationes non sufficiunt, Corrector, qui de Societate non sit, constituatur; qui capaces hujus animadversionis castiget: quamquam in Correctore externo, sicubi necesse fuerit, à Generali dispensari poterit. y In corrigibiles autem, & aliis offendiculo futuri, à Scholis, judicio Rectoris, removeantur. z Quod si casus aliquis accideret, ubi in remedium offendiculi præstiti satis non esset à Scholis expellere, sed etiam à Civitate expelli, vel in carcerem conjici oporteret; videat Rector, quid præterea conveniat providere: quamvis, quoad ejus fieri poterit, in spiritu lenitatis, pace, & caritate cum omnibus conservata, sit agendum. * E nucleatius autem traduntur, quæ ad continendos in disciplina Scholasticos pertinent, in Reg. Præf. inf. à 37. usque ad 50.

4. Cum autem officium judicandi in criminalibus, quin etiam in civilibus rebus, religiosæ quieti, & muneribus minime congruat; jurisdictio hujusmodi, quam per se, vel per alios à se dependentes Societas exerceat, non admittatur. Quamvis conveniat iustitiæ ordinariæ, sive Secularis, sive Ecclesiasticæ Ministros, circa punitionem Scholasticorum, voluntatem Rectoris sibi significatam exequi. Et ad hoc, &

y C. 1. D. 35.

z P. 4. c. 7. §. 2.

& D. & c. 16.

§. 5. & c. 17. G.

& R. com inf.

40.

* P. 4 c. 11. B.

& c. 16. D.

*Pœna graviores
per externa po-
testatis Mini-
stros infligenda.*

** P. 4. c. 11.
§. 3. & B.

similia à Principe, vel à suprema Potestate, hujusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit. **

C A P U T VII.

De Libris scribendis, edendisque.

Scriptores Professi possunt à Collegiis sustentari.

a P. 6. c. 2. C.

Libri antequam edantur examinandi.

b P. 3. c. 1. §.

18. & P. 4. c. 6.


O. & P. 7. c. 4.

§. 11. & Reg.

Prov. 60. & C.

5. D. 9.

c R. Rev. 2.

1.  Efertur etiam ad juvandos proximos, mediis literis, Librorum scriptio, atque editio. In eorumque gratiam, indultum est, ut qui talento ad id sunt præditi, cum expressa facultate Præpositi Generalis, licet Professi sint, possint ad aliquod tempus in Collegia se recipere. *a*

2. Ceterum à nullo Libri scripti edi possunt in lucem sine approbatione, atque consensu ejusdem Præpositi: qui eorum examinationem saltem tribus committat, sanâ doctrinâ, & claro judicio in ea facultate præditi: ut non aliter in publicum prodeant; quàm si ad ædificationem fore videbuntur. *b* Sed in Libris, qui Theologiam speculativam, aut Controversias, aut doctrinam morum continent, quatuor Censores integrum librum examinent: leviora tractantes, à duobus tantummodo perlegantur. *c*

3. Ad